

collō numellis insertō sifteretur ; inde Carolus illam consuetudinem iis in locis, ubi hactenus viguit, servandam esse decrevit ; ratio est, quia talis exhibitio fit saltem ad condemnati infamiam & ignominiam, quæ alias damnatum insequi solet. Mantzius *ad h. artic. num. 5. pag. 331.* refert : Dolæ in Burgundia receptum esse, ut decapitati postea in patibulo sub axillis & brachiis aliquamdiu suspendantur, non ut illa suspensio isti occiso cedat in pœnam, sed partim ipsi in ignominiam, partim transeuntibus in exemplum & terrorem. In Germania tamen talis consuetudo non est, sed, quando sententia in publico iudicio, & præsentia populi publicata est, statim reus deducitur ad locum supplicii.

ARTIC. LXXXVI.

Ut reus in iudicio sistatur.

Den Beklagten für Gericht zu führen.

Darnach soll der Richter befehlen / daß der Beklagte durch den Nachrichter und Gerichts-Knecht wol verwahrt / für das Gericht gebracht werde.

AD ARTIC. LXXXVI.

ARGUMENTUM.

Postquam reus publico in loco populo fuit exhibitus, iubebit Judex, ut is benè ligatus coram iudicio sistatur.

(1.)

Postquam sententia condemnatoria fuit lata, & condemnatus in conspectu populi publicè fuit positus, tum demum Judex iubebit eum coram iudicio sisti.

(2.) Quomodo sistendus est reus ? Respond. ligatus : Quidam putant, ut habeat manus post terga revinctas. In nonnullis tamen locis non quibusvis condemnatis, sed saltem furibus manus post terga vinciri solent. Ratio autem, quare ipsis ligentur, hæc est, ne ipsi ministris iudicii, à quibus ducuntur, vim inferant, & vel aufugiant, vel denuo alium obvium, qui ipsum fortean sit detenturus, lædant, vel planè interficiant.

(3.) A